DE
INSANIA POTATORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE VII. MENSIS APRILIS A. MDCCCXLIII.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS ROEMISCH

CHEMNITIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIAE

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS, DOCTISSIMIS, AMPLISSIMIS
EXPERIENTISSIMUS

FRIEDERICO GUILIELMO ROEMISCH

PATRONO CAUSARUM LIPSIENSI CELEBERRIMO

PATRUO CARISSIMO

CAROLO AUGUSTO ROEMISCH

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE, EQUITI
ORD. SAXON. PRO MERITIS CIVILIBUS

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

PRAECEPTORI PIE COLENDO

GUSTAVO BIEDERMANNO GUENTHER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURG.
ET CLINICES P. P. O., INSTITUT. CLINIC. REG.
CHIRURG. PRIM.

FAUTORI VERE PATERNO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

Auctor.

PROOEMIUM.

Cum iam in eo essem, ut studiis academicis rite absolutis summos in arte medica peterem honores, legibus academicis satisfacturus ad edendam dissertationem me accingerem, imbecillitatem meam bene intelligens, non sine timore illud adgressus sum opus. Certissime enim mihi persuasum est libellum hunc non paucis laborare vitiis, multaque imperfecta et manca continere. Quapropter Lectorem benevolum iterum iterumque rogo, velit, si quando errore ductus a iusto tramite aberraverim, mihi parum adhuc in literis versato ignoscere, et iuvenile hocce opusculum severiori non submittere censurae.

Synonyma. Delirium tremens, delirium potatorum, mania potatorum, phrenesia potatorum, encephalitis potatorum, delirium ebrietatis potatorum, delirium vigilans, mania a potu.

Ad hunc morbum, primum a SUTTONIO descriptum, recentiori demum tempore medici animos attenderunt, inter quos inprimis ALBERS, LIND, GOEDEN, TITZSCHKAU et BARKHAUSEN in illo observando versati sunt. Intelligitur autem sub hoc nomine illud malum, quo quis post longiorem spirituosorum abusum corripitur, quo inprimis cerebri ac nervorum functiones turbantur, quo insomnia, deliria et hallucinationes peculiaris generis provocantur, quo functiones systematis vasorum modo commutantur, modo non, quod modo cum febri apparet, modo non ita; ante omnia autem ad collapsum inclinat, neque aliter tollitur nisi somno critico.

Aetiologia. Causa praedisponens nec raro simul occasionalis huius mali is ipse est spirituosorum abusus, prae ceteris vini adusti, oleo suo empyreumatico peculiari adhuc inquinati, et vini Indici. Vinum autem ipsum longe minorem habere vim ad procreandam potatorum insaniam, iam inde patet, quod in terris vitiferis multo rarius hic morbus occurrit, quam ubi spiritus frumenti et quodcunque in eius locum substituitur, potulentum, in usum venit. Quid quod morbus, semel exortus, nunquam ad vehementiorem gradum evehitur, nisi vinum, non amplius sufficiens, cum spiritu frumenti vinoque Indico subito commutatur. Dispositio hereditaria statui non potest, sed diathesis ad hunc morbum semper per ipsum spirituoso-

rum abusum acquiritur. Una cum crescente eorum copia crescit etiam dispositio, ita ut fieri non possit, quin per ipsa spirituosa sine ulla causa accedente delirium tremens eliciatur. Verum tamen semper aliae accedant causae necesse est. Non solum autem animi affectus, ut timor, terror, iracundia, invidia, aliquid valent, sed etiam quilibet morbus, inprimis laesiones mechanicae: contusiones, luxationes, fracturae; et quidquid aliquam functionum turbationem adducit, ut febris rheumatica, catarrhi pulmonum, anginae, pneumoniae, haemoptysis, hepatitis et alia; etiam tum, quum iam diu aegrotus a sumendis spirituosis abstinuerit, delirium provocare possunt. Pari modo ad causas occasionales numeranda est subitanea a solito potu excitante vel coacta vel spontanea abstinentia. Quantam vim aëris conditio in hunc morbum exerceat gignendum, non satis constat, sed tamen aliquam adesse vim, et alio tempore una eademque regione plures simul homines insania potatorum affectos esse, quam alio, a compluribus medicis observatum est.

Divisio morbi. Quoad decursum, causam et naturam, delirium potatorum vario modo dividitur, ut in chronicum et acutum, idiopathicum et symptomaticum, sthenicum et asthenicum, id quod in distinguendo curandoque morbo maioris vel minoris momenti est. Idiopathica et symptomatica forma propterea separandae sunt, quod, cum illa sine ullo alio morbo appareat, et vix unquam prodromis careat, haec tamen vel alio morbo iamiam exorto, vel una cum morbo alio subito prorumpit, unde fit, ut vario modo immutetur, itaque facile praetermittatur.

Decursus et exitus. Hic praeprimis de acuta potatorum insania sermo erit, de chronica postea nonnulla addentur. Atque illius quidem duplex forma est aut cum charactere sthenico aut cum asthenico, quas duas formas distinguere haud raro medici non curant, quamquam fere quemque morbum duplicem illum characterem assumere posse, et hinc flagitare variam curationem iam dudum satis notum est. Inde variae medico-

rum sententiae de varia morbi natura eiusque cura, ita ut, dum alii inflammationem cerebri esse putant, alii inflammatoriam naturam negantes, in torpore potius organorum indolem morbi quaerant. Observationes recentiori tempore institutae nos docuerunt, neutrius partis sententiam refutandam esse, cum alias insania potatorum magis inflammationis signa edat, alias sine ulla irritatione inflammatoria, sine ulla sanguinis perturbatione, magis cum signis nervosis appareat. Characterem vero sthenicum tunc solet ostendere morbus, cum homines robustae constitutionis, iuvenes et provectioris aetatis ii, qui spirituosis per breve modo tempus dediti erant, ea occupantur. Eadem de causa primi impetus morbi plerumque ad inflammationem inclinant. Quin ipsa spirituosorum qualitas in hanc vel alteram provocandam formam vim habere videtur. Etenim Barkhausen observavit, vinum et acriorem cerevisiam, si forte insaniam potatorum, eamque gradu minori, provocaverint, morbum vere nunquam aliter quam cum charactere sthenici apparuisse; id quod etiam de spiritu frumenti, et de vino Indico valere contendit. Insania potatorum cum charactere asthenico praeter homines provectioris aetatis inprimis ii afficiuntur, qui, spirituosis iam diu dediti, digestionem et reproductionem fere prorsus deleverunt, vel iam saepius insaniam potatorum experti sunt. Idem character tribuitur morbo oborto per affectus animum deprimentes, per varias valetudinis subversiones, ut haemorrhagias, diarrhoeas, cachexias; imprimis etiam per potationem vini adusti oleo suo empyreumatico adhuc inquinati.

A. *Stadium prodromorum.*

a) *In sthenica forma.* Quamquam hoc stadium propter levia citoque praetereuntia symptomata saepissime deesse videtur, tamen semper statui debet. Observatur imprimis nimia aegrotaturi actuositas interdum cum hilaritate, saepius cum morositate coniuncta, alias aegroti ineffabili angore ac palpitatione cordis, ut carditide laborantes, corripiuntur; vel

oritur epilepsiae insultus, vel vertigo fere apoplectica, vel haemorrhagiae, ut: haemoptysis, haematuria, epistaxis. Interdum appropinquantem morbum indicat susurrus aurium, dolor capitis, orgasmus, angor quidem, cum ructandi conatibus. Lingua plerumque obducta; pulsus acceleratus, plenus, subdurus, rarius intermittens et irregularis. Cutis modo ad sudandum propensa, modo non, facies rubet, caput calet. Interdum accedit artuum tremor incipiens. Somni ab initio satis faciles et tantum per somnia turbati sub finem huius stadii fere prorsus desiderantur. Hoc stadium vel nonnullos dies vel per complures hebdomades durat. Quamquam interdum morbus hoc stadio fugatur plerumque tamen transit in stadium invasionis.

b) In stadio prodromorum insaniae potatorum asthenicae ex parte eadem observantur, sed tamen multum discriminis inter utrumque genus interest. Aegroti enim magis sunt anxii, et fere hypochondriaci. Huc accedit, quod fere semper digestionis anomaliae simul apparent: emesis, anorexia, diarrhoea, flatulentia, pyrosis, cardialgia. Facies non rubet, neque etiam aegroti calorem capitis accusant; cutis est sudore copioso, sed magis frigido, obtecta, pulsus parvus, magis minusve frequens. Nec raro iamiam tremor artium observatur. Morbus cum charactere asthenico hoc in stadio nunquam finitur.

B. *Stadium invasionis.*

a) *Forma sthenica.* Incipit agrypnia, ad quam hallucinationes et phantasiae peculiaris generis accedunt. Proprium est sthenicae morbi formae, quod saepe unus praevalet animi affectus, tristitia, vel timor, vel hilaritas, aut quod animus unam potissimum rem persequitur. Hallucinationes inprimis ad visus auditusque sensus pertinent, unde fit, ut aegroti varii generis animalcula, variasque figuras conspicere, vel campanarum sonos, hominum voces, decidentem pluviam audire opinentur. Ab initio

aegroti monitis aliorum satis bene parent. Pulsus est frequens, plenus, plerumque mollis, lingua magis magisque obducitur, facies rubescit; sudor, si quis effunditur, calidus solet esse. Tremor artuum vix adhuc animadvertitur. Raro hoc stadio morbus desinit.

b) *Forma asthenica.* Deliria, unacum agrypnia apparentia, magis sunt anxiae naturae, interdum etiam, sed rarissime hilaria, imagines non, ut in priori forma ad unam rem maxime spectantes, sed promiscue huc illucve circumvagantes. Vultus ostendunt anxietatem pariter atque hilaritatem, quam aegrotus simulare studet. Minus repugnat monitis atque iussibus. Sudor artuumque tremor, nisi iam antecedente stadio aderant, nunc certe reperiuntur. Congestiones sanguinis versus caput fere nullae, pulsus frequentissimus, et magis magisque decrescens vix sentitur.

C. *Stadium acmes.*

a) *Forma sthenica.* Deliria et phantasiae fiunt ferociora, ita ut aegroti vix retineri queant. Inquietudo et angor aegrotorum, dum ab hostibus, latronibus aliisque hominibus sibi infestis sese vexari putant, vehementissime augentur. Pulsus, ut antea, plenus et acceleratus, interdum etiam tremulus. Apparet artuum tremor, vel si prius iam aderat, magis fit conspicuus. Rubor faciei idem est, qui antea, sed sudor largius effunditur. Utrumque stadium (acmes et invasionis) in universum tres vel quatuor dies durare statuendum est.

b) *Forma asthenica.* Etiam hic omnia symptomata crescunt: deliria magis sunt vaga et vehementiora, cogitationes magis magisque aberrantes, inquietudo maxime adaucta. Sed insania potatorum asthenica hoc habet proprium, quod nunc artuum tremor eo usque augetur, ut aeger neque tenere aliquid manibus, neque aliter atque ut ebrius incedere possit. Nonnunquam vires desunt linguam promendi; quin etiam subsultus tendi-

num sensim apparent. Pulsus vix potest numerari, collapsus faciei magis magisque conspicitur.

D. *Exitus.*

a) Exitus sthenicae formae non semper idem est. Aut enim aegrotus sanitatem recipit, id quod quovis in stadio fieri potest, aut mors sequitur, aut transit in insaniam potatorum cum charactere asthenico. Plerumque sub finem tertii stadii morbus in valetudinem transit, ubi semper facilis et diuturnus somnus praegrediatur necesse est, cui, nisi per narcotica adducitur, plerumque omnium symptomatum remissio antecedere solet. Quando aegroti post somnum primum aliquantulum delirare pergunt, per alterum vel tertium somnum prorsus ad sanitatem reducuntur, et raro tantum delirii meminerunt. Taedium et lassitudo, quae sequuntur, optime cum illo statu compares, qui post potationem immodicam locum habet. Pulsus, quamquam multo minus frequens, tamen per aliquod tempus plenus sentitur, cutis secretio minor est; lingua vero plerumque obducta, sitis magna, ciborum appetitus nullus; quae tamen omnia mox evanescunt. Mors sequitur in stadio acmes per apoplexiam et sanguineam et serosam, quod quidem duplici modo fieri potest. Etenim vel vigil aegrotus subito apoplexia corripitur, vel inter somnum magnis opii dosibus adductum. Illud si fit, nihil aliud initio videtur esse, quam tetanus vel eclampsia. Denique insania potatorum sthenica ita finitur, ut in asthenicam mutetur, id quod saepissime et quidem omnibus in stadiis observatur. Causa huius mutationis aliis in casibus alia est; quum modo per momenta eodem tempore vires consumentia efficiatur, ut per diarrhoeam, haemorrhagias etc., modo pendeat a curatione nimis antiphlogistice instituta, ut fit, quando complicatio cum inflammationibus (pneumonia) hanc medendi methodum flagitare videtur.

b) Asthenica forma duplici modo terminatur, aut per sanitatem redeuntem, aut per mortem. Sanitas tarde tantum, neque unquam sine

artis auxilio reducitur. Etiam hic opus est somno, cui praegredi solet stadium decrementi, quo tremor artuum, vehementia deliria, pulsus frequentia et debilitas, sudor copiosus sensim minuuntur. Post somnum plerumque longum, praeter magnam debilitatem aegrotus bene sese habet, sed tamen diutius in cura remaneat necesse, quod digestionis anomaliae et virium defectus satis tarde evanescunt. Apoplexia serosa et sanguinea vix timenda est hocce in morbi genere; potius causa mortis e perfecta virium consumtione, et ab apoplexia nervosa pendet. Morte instante saepius fit, ut aegroti maxima inquietudine vexentur, ut ipsi nihil circa se conspiciant, nisi homines mortuos. Mortem vero ipsam appropinquantem indicat cutis sudore frigido obtecta, et facies et extremitates frigore correptae. Vox redditur obscura, respiratio stertens, accedit singultus, faeces et urina involuntarie evacuantur. Interdum diu aegrotus vexatur, antequam morte liberetur, alias exitus est celer et facilis.

Quod *ad chronicum potatorum delirium* pertinet, etiam hocce modo ad stheniam, modo ad astheniam inclinare commemorandum est. Non sine iure comparari potest cum febre intermittente. Cum enim post somnum facilem aegroti sanitatem recepisse videntur, subito denuo delirare incipiunt, donec post novum somnum iterum melius se habent. Si non satis diuturnus somnus valetudinem reducit, morbus aut in febrem nervosam transit, aut oriuntur mutationes organicae inprimis in hepate et pulmonibus. Nec raro accidit, ut proprio morbi charactere deleto, perfecta efformetur mania, id quod omnia maiora insanientium nosocomia satis luculenter testantur. Hic ut ars fere nihil valeat, mala organica vel cerebri vel hepatis efficiunt.

Prognosis. Respicientes observationes magnis in nosocomiis institutas, prognosin in universam infaustam statuere debemus, praesertim cum morbus facile redeat, atque ita formam sthenicam in asthenicam traducat. Multum etiam interest, num morbus idiopathicus sit, an symptomaticus, utpote qui

maius minusve periculum indicat. In insania potatorum chronica prognosis pessima est, quoniam plerumque ne transeat in maniam timendum est, vel ne, fugato morbo, insanabiles morbi, hepatis, ventriculi, lienis aut pulmonum remaneant. In universum pro signis periculosis habenda sunt: haemorrhagiae, vertigo, epilepsia, artuum tremor tam vehemens, ut aegri nec incedere valeant, neque bibere, nec ex arbitrio membris suis uti; lingua sordida, sudor gelidus, pulsus parvus, frequens et filiformis, subsultus tendinum, deliria anxia, praesagium propinquae mortis, timor decidendi, diuturnae vigiliae, inquietus vel comatosus somnus, paralysis. Haec symptomata si desunt, bono quietoque somno mox sequente, sperandum est fore ut morbus bonum habeat exitum.

Diagnosis. Vix quisquam insaniam potatorum, eamque idiopathicam cum alio morbo confundet, quum deliriis peculiaribus et hallucinationibus, agrypnia, profuso sudore, artuum tremore et reliquis signis satis ab aliis morbis destinguatur. Saepissime sine dubio commisceri videtur cum encephalitide adultorum, cum et nonnulla symptomata in utroque morbo congruant, et interdum ad ipsam potatorum insaniam encephalitis accedet. Pathognomonica signa inprimis haec sunt: deliria in insania potatorum magis appropinquantia maniae deliriis, in encephalitide magis febris nervosae; febris in illo morbo saepe deficiens, in encephalitide nunquam desideratur, in illo observatur sudor copiosus, saepe etiam gelidus, hic cutis sicca est atque calida; ut in illo lingua humida reperitur sitisque exigua, ita in hac sicca, sitisque magna. In encephalitide iam ab initio facies rubet, in insania potatorum hic idem status per diuturnam agrypniam sensim adducitur. Id etiam respiciendum est, quod illa, crisibus solitis formatis, tarde evanescit, haec celeriter somno facili fugatur. Igitur sine ullo opere secerni posse potatorum insaniam a febre nervosa, phrenitide, mania, ratione semper causae habita signorumque morbo propriorum, nemo non videt. Idem valet de iis deliriis, quae supra adumbratis haud dissimilia, interdum

sub finem morborum complurium chronicorum, et in senectute observantur, pariter atque in iis, quae scarlatinam et erysipelas faciei concomitantur.

Epicrisis. De natura insaniae potatorum, num sit cerebri inflammatio nec ne, non omnes medici adhuc consentiunt; id quod inde ducendum mihi videtur, quod multi medici duas illas formas: sthenicam et asthenicam haud satis distinguunt. Morbus si characterem asthenicum habuerat, sectione instituto, venae cerebri dilatatae reperiebantur, sed non nimis sanguine impletae, arachnoidea iusto crassior neque pellucida, granulis lymphae plasticae obtecta, pia mater non rubens, plexus choroidei hydatidibus ex parte impleti. In forma sthenica omnia vasa sanguine plena inveniri solent, et venosa et capillaria; pia mater et substantia cerebri saepissime rubescens, sub arachnoidea incrassata extravasatum serosum; quod idem extravasatum etiam in ventriculis et in basi cranii plerumque adest. In universum statuendum est, insaniam potatorum esse habendam pro mutatione morbosa actionis non solum cerebri, sed etiam totius nervorum systematis, quae mutatio agitationem irritationemque cerebri omniumque nervorum per ipsum spirituosorum abusum continuum provocatam subsequatur. Sunt etiam qui dicant, sanguinem ipsum participem esse illius mutationis morbosae, quippe qui saepissime particulis adiposis inquinatus reperiatur. Initio illae mutationes dynamicae sunt, quare nihil morbosi in cerebro detegitur, postea vero, causis perdurantibus, ipsa materies mutatur; tum illae formationes, quas supra commemoravimus, reperiuntur.

Therapia. Varia est pro varia morbi specie. Omnino tamen hoc videndum est in tractandis eiusmodi hominibus, ne vi coerceantur, neve nimis iis contradicatur, quum ideo haud raro in summum periculum vocentur. Maxime etiam optandum est, ut cognati vel amici, quibus non parendum esse aegri putant, removeantur, curaque alienis tradatur; nec minus quoque ut domicilium consuetum cum alio loco, maxime cum nosocomio, mutetur. Quanti sit momenti, aegrotis concedere sufficientem ambulandi libertatem,

(sed semper praesente custode) recentiores observationes satis docuerunt. Hac enim libertate aegrotis occasio vires corporis delassandi et ita se ad somnum propensos reddendi praebetur. Egomet ipse vidi virum, qui utilitatem huius curandi methodi probavit, et cuius historiam enarrare mihi liceat.

R.... 65 annos natus, in nosocomium ad St. Iacobum translatus propter fracturam colli ossis femoris dextri, ibi versatus per viginti hebdomades, optima semper frui videbatur valetudine, cum subito hallucinationibus supra commemorati generis afficeretur, quibus sequentibus diebus tremor artuum, non nimis vehemens se adiunxerunt (et insomnia). Tertio sequente die, usque ad quem nihil nisi fomentationes frigidae ad caput adhibitae sunt, morbus usque ad stadium acmes pervenerat, et tam perspicue speciem insaniae potatorum prae se tulit, ut nemo non hanc cognoscere posset. Nunc aegrotus ipse veniam sub divo ambulandi postulavit, quae ei ita concessa est, ut a duobus viris ductus, tunc, ubi requiescere vellet, amplius praeumbulare cogeretur, usque tandem prorsus delassatus iam in eundo a somno corriperetur. Nunc domum reversus et ad lectum transgressus, post diuturnum et facilem somnum, prorsus sui compos resurrexit. Aliquo tempore post, prorsus sanatus, dimissus est.

A. *Therapia insaniae potatorum sthenicae.*

Hic non solum irritatio in systemate nervoso lenienda est et nimia cerebri nervorumque actio imminuenda, verum etiam orgasmus vasorum tollendus est, et congestiones sanguinis a capite derivandae sunt; semper tamen respici debet, summa huius morbi inclinatio ad astheniam. Remedia, quae adhibere solent, haec sunt:

1) *Antiphlogistica. Detractiones sanguinis universales;* magna cum cautione in usum vocandae sunt, quod facillime collapsum provocant; *detractiones sanguinis locales;* multo saepius quam univer-

sales postulantur, quum, etiamsi alius morbus una adest, plerumque sufficiant; — *laxantia;* inprimis ab initio bono cum effectu porriguntur, minus tamen iuvant exculto iam morbo, ubi facile periculum afferunt. Diarrhoea enim forte provocata vires ne nimis consumantur, verendum est. *Salia temperantia, ut Ammonium muriaticum* et *Nitrum*, remediis supra commemoratis postponenda sunt. Tamen aliquid valere videntur, quando insania potatorum fugata, status febrilis remanet, vel ubi inflammatio cerebri, aliorumve organorum simul timenda est.

2) *Acida.* Prae ceteris *acidum* sulphuricum sub forma elixir. acid. Halleri adhibetur. Id quamquam initio multum proficit, ubi simul magnus vasorum erethismus locum habet, tamen non videtur sufficere morbo plane exculto. Optime autem alia remedia adiuvat, si indicatio adest, systematis vasorum tumultus imminuendi. Sublata insania potatorum saepe quod reliquum febris est, delere valet.

3) *Remedia nauseosa.* Ex hocce remediorum genere maxime tartarus stibiatus in usum vocatus est, quem nonnulli medici eo usque laudant, ut reliqua omnia remedia omittenda esse arbitrentur. Habet autem, idonea dosi porrectus, triplicem vim: ut derivet, leniat, et indirecte vim antiphlogisticam exerceat, unde igitur non solum nimiam et nervorum et vasorum actionem imminuat, verum etiam antagonistice sanguinem a capite detrahat. Et Barkhausenius quidem suadet, grana quinque in unciis quinque aquae destillatae solvere, et hinc quavis hora vel omni bihorio cochlear maius aegro porrigere. Nisi vomituritiones oriuntur, postmodum dosis nonnullis granis augetur, ita ut, si periculum in mora est, grana quinque adiiciantur. Somnus brevi tempore sequens, si praemature interpellatur, pulvis Doweri adiiciendus est. Expergefactus aegrotus per aliquod tempus in sumendo eodem remedio, sed minori dosi, pergat necesse est, ne malum forte recrudescat. — Etiam radix Ipeca-

cuanhae commendatur, formula laudata haec est: Rec. Inf. rad. Ipecac. (ex ʒij paratae) ℥vij; Cremor. Tart. ℥j; Oxym. squillit. ℥ij. D.

4) *Fomentationes frigidae* ad caput. Omnes medici consentiunt, ubi accessus sanguinis versus caput praevalet, semper optimo cum successu fomentationes frigidas adhiberi. Fortiorem vim sine dubio infusiones frigidae exercebunt. Exemplum hic adiicere mihi liceat, ut appareat, fomentationes frigidas saepius sufficere ad perficiendam curationem.

Franz. H......, 34 annos natus, faber lignarius, sexto die mensis Iunii 1842 in nosocomium translatus propter fracturam obliquam ossis femoris sinistri et contusionem humeri eiusdem lateris. Post aliquot dies, ferulis, propter tumorem magnum adhuc perstantem, nondum adhibitis, tremor artuum et inquietus somnus suspicionem insaniae potatorum incipientis admisit. Aegrotus, cum interrogaretur, retulit, se iam bis; in Graecia cum stipendia meruisset quinque abhinc annis, et in Gallia ante duos annos, post abusum vini recentis insania potatorum laborasse, sed semper sine ullo remedio adhibito sanitatem recuperasse. Sequenti die morbus completus prorupit, aegrotus non amplius sui compos, femur fractum tam vehementer movit, ut alligaretur. Omnia signa congestionis ad caput aderant, ita ut de detrectionibus sanguinis sermo esset. Propter maximam tamen aegroti inquietudinem institui non potuerunt, quapropter fomentationes adhibitae sunt, et quidem tam felici successu, ut tertia nocte facili et diuturno somno frueretur, quo facto prorsus sui compos expergefactus, et nullum amplius morbi vestigium animadversum est. — Quod ad diaetam attinet, aegrotis nihil permittatur, nisi potus tenuis, mucilaginosus, iusculum aquaticum et aliquid panis candidi.

B. *Therapia insaniae potatorum asthenicae.* Ut hacce in forma systema vasorum non curandum; ita excitatio cerebri et nervorum respicienda est, quam ob causam, quaecunque supra enumeravimus remedia, non modo non utilitatem, sed etiam maximum damnum afferent. Indicata erunt eius

generis remedia, quae quamquam irritationem systematis nervorum imminuunt, ceterum tamen organismum non debilitant. Ante omnia nominari debet: 1) *Opium*, quod quin adhibeatur nihil impedit, si discesseris a statu gastrico praevalente, ubi emetica, vel alia antigastrica praemittenda sunt. Praescribitur vulgo granum dimidium quovis bihorio, quae dosis, si opus est, ad granum usque integrum est augenda. Periculo instante etiam grana duo porriguntur, sed paucae tantum doses; postea, quatuor fere dosibus sumtis, ut antea pergitur. Somno tandem adducto, aegrotus non omnino pro sanato declarari et dimitti debet, sed per aliquod tempus parvis opii dosibus utatur necesse est. Orientibus apoplexiae symptomatibus, vel statu soporoso, vel paralysi palpebrae, remedium seponendum est. — 2) *Camphora*. Remedium obsoletum, sed tamen laudandum, quando morbus una cum pneumonia typhosa apparet. Irritatio systematis nervosi imminuitur, et secretiones cutis et bronchiorum ad normam reducuntur. Similem effectum habet 3) *Ammonium carbonicum* a Felsenio commendatum. Eodem cum successu, quo camphora adhibetur. Est autem illi praeferendum, quando per camphoram systema vasorum nimis irritatur, quin adeo secretiones sanguineae provocentur. Utrumque remedium satis magna dosi porrigitur. — 4) *Moschus*. Tunc tantum eius usus conceditur, quando ad simplicem morbum convulsiones sine sanguinis congestionibus versus caput accedunt, vel quando apoplexia nervosa imminet. — 5) *Flores Arnicae*, *Radix Valerianae*, *Radix Serpentariae*. Adiuvantia remedia dicenda sunt, inprimis coniuncta cum acidis. Non adhibentur, nisi insania potatorum magis febri nervosae accedat. — 6) *Vinum adustum*. Ad remedia diaetetica referendum est, nullo modo pro medicamento primario habendum. — Diaeta magis sit nutriens et roborans, quam in priori forma, sed tamen cavendum, ne victus difficilior ad concoquendum sumatur, quod a digestionis organis maxime invalidis non fertur.

Praeterea in insania potatorum curanda omnino laudata sunt *emetica*,

quae tamen nihil vel parum valere, observationes ostenderunt. Porro *Hydrargyrum muriaticum mite*, vel merum, vel cum opio coniunctum. Negari nequit, huic remedio propter ebriosorum obstructiones in abdominis organis locum habentes, aliquam vim tribuendam esse. Denique *tinctura digitalis purpureae*. Miori dosi nullum ostendit effectum, et maiores doses, guttulae 60 usque 70, quae commendantur, propter magnum periculum, quod vitae afferre possunt, refutandae sunt. *Rubefacientia* et *Vesicantia* curam non raro adiuvabunt.

In *insania potatorum* symptomatica semper ratio habenda est morbi primarii, et in universum haec regula statui potest: qui praevalet morbus, is maxime curandus. Curatio *insaniae potatorum* chronicae multis cum difficultatibus coniuncta est, et rarissime solummodo, ut morbus prorsus deleatur, medico continget; utpote quum mutationes organicae morbosae iam formatae sint in partibus ad vitam maxime necessariis. Inprimis cavendum, ne unum idemque remedium semper porrigatur, sed permutentur inter se, modo Tartarus stibiatus, modo Opium, prout status aegroti hoc illove remedio egere videtur.

Literatura.

SUTTON, traits on delirium tremens. Ex Anglico in germanicum sermonem translatum ab HEINECKE. Bremen, 1820.

RAYER, mémoire sur le délirium tremens. Paris, 1819.

G. A. GOEDEN, de delirio tremente. Berlin, 1825.

BARKHAUSEN. Observationes de delirio tremente. Bremen, 1828.

P. SCHMIDT. Monographia de delirio tremente in „*den Mittheilungen aus dem Gebiete der gesammten Heilkunde.*“ Hamburg, 1830. Tom. 1.

PAULI. Observationes de delirio tremente. RUST's *Magazin.* Tom. XXX. p. 378.

RICHTER. Therapia *Band* 91. *Supplementband* 2.

BEGBIE, dissertatio de delirio tremente. Edinburg. 1821.

LIND, dissert. de delir. trement. observationum serie cum epicrisi morbi indole ac natura. Havniae, 1822.

STREMPEL, dissert. de delirii trementis pathologia. Leipzig, 1826.

ZOPF, dissertatio continens additamenta quaedam ad delirium sic dicti trementes potatorum aetiologiam. Leipzig 1828.

GUSTORF nonnulla ad delirii sic dicti trementis naturam. Götting. 1824.

WEIGEL dissert. observationes de morbo, qui delirium tremens vocatur. Rostock 1826.

BERNDT. HUFEL. *Journal* 1822. Novemb.

TOEPKEN. HUFEL. *Journal* 1822. Decemb.

HUFELAND, ANDREAE, KRIEBEL. HUFEL. *Journal* 1824. April.

SIBERGRUNDI. HUFEL. *Journal* 1835. Mai.

NEUMANN. RUST's *Magazin* Bd. 33. et HUFELAND's *Encyclopädie* Bd. 9. 1833.

ALBERS. *Medicinisch-chirurgische Zeitung.* 1821. Bd. 1.

EBERMAIER. *Heidelberg. Klinische Annalen. Bd.* 3., *Heft* 4.

BLAKE, the Edinburg medic. and surgical Journ. Octob. 1833.

AYAN, GERSON's *Magazin d. ausländischen Literatur* 1828. *Septemb. u. Oct.*
